

neq. inferiori praepone. Sicut enim grandis et gravis superbia est praeferre se aequali, aut acquare Praelato; sic grandis humilitas est inferiori se exhibere aequali et aequalem inferiori. Maxima et plena iustitia est, inferiori se exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim summa et intolerabilis superbia est, superiori se praepone; ita inferiori se subdere, summa est et plena iustitia. Quod ergo Ioannes ait: Ego a te debeo baptizari, de prima fuit qua superiori se subdidit. Quod autem Christus fecit, de plena iustitia fuit; siquidem ille servili sui se manibus inclinavit. Videat nunc quilibet quem imitatur, hunc, an eum, qui extollitur supra omne quod creditur aut colitur Deus. Et iterum: *Nonne Deo, inquit, subiecta est anima mea?* Aut parum est esse subiectum Deo, nisi sis et omni humanae creaturae propter Deum? Sic enim docet nos, inquit, implere omnem iustitiam; id est, consummationem profecto iustitiae, in humilitatis perfectione consistentem. Vade, et tu, ad minorem, si vis iustitia esse perfectus; defer inferiori, et minori te inclinato: haec Bernardus. In hoc apparet iustitia in humili, quia alienum non surripit, nec sibi attribuit quod non debet; sed unicuique ius suum reddit. Non surripit honorem et sibi attribuit; sed Deo honorem, et sibi relinquit vilitatem. Non laedit proximum, nec eum diiudicat, nec praefert se alicui vel comparat; sed minorem omnibus se reputat, et locum novissimum sibi eligi et optat.

SABBATO

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.
IN MATTH., CAP. 13.

1038 **A**LLAM parabolam proposuit illis, dicens: Simile est Regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

1039 Bene similis dicitur, qui ei per omnia aptus esse probatur. Bonum itaque semen in agro corporis sui seminat, quia semen bonae voluntatis ad operum perfectionem perducere studet.

1040 *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.* Haec quidem sententia cautos nos esse admonet, ne dum torpescimus inertia, diabolus foeditatem vitiorum super semen bonae voluntatis spargat.

Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? etc. Hic nobis patientiae exemplum praebet, ut sicut paterfamilias in dolo inimici patiens fuit, sic in aliqua nos laesione non statim ad vindictam, sed magis ad tolerantiam recurramus.

1041 *Servi autem dixerunt ei, usque, Eradicatis simul cum eis et triticum.* Hic denique discretionis et tolerantiam malos habemus exemplum, ne si magis ultiscendo talionem malis reddamus, bonis praebemus scandalum imitationis.

1043 *Simile utraque crescere, usque, Triticum autem congregate in horreum meum.* Hinc habere docemur longanimitatem patientiae, ut longanimitate iustitiam meditemur, et in iudicio patientiam ne negligamus.

Varia de Baptismo D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21.)

1044 **V**IDES itaque quomodo augmentata est Domini humilitas a praecedentibus. Ibi enim parentibus subditus erat; hic verbo se etiam servo subiecit, seque vilificat, ac servum iustificat et magnificat. Sed et in alio considera quomodo eius crevit humilitas. Nam usque modo conversatus est humilis, quasi inutilis et abiectus. Hic autem etiam peccator voluit apparere hominibus. Peccatoribus enim praedicabat Ioannes poenitentiam, et eos baptizabat, et Dominus Iesus inter eos et coram eis baptizari voluit, tanquam unus ex illis. Et licet idem dici posset de circumcisione, quia voluit peccator apparere; tamen hic plus est; quia coram turba publice, sed ibi magis occulte. Sed nonne timendum fuerat, cum ipse se amodo vellet intendere ad praedicandum, ne tanquam peccator sperneretur? Non propterea dimisit humilitatis magister, quin profundissime se humiliaret. Ipse ergo propter nos instruendos voluit apparere quod non erat, in sui abiectiorem et despectionem; at nos et contra volumus apparere quod non sumus, in nostram gloriam et laudem. Si quid id nobis

videtur esse probitatis, ostendimus; defectus vero, qui in nobis sunt, celamus. Ex hoc etiam poteris eius humilitatem considerare, quod in suscipiendo baptismum, et in aliis quae secundum Legem debebantur, Dominus Legis et supra Legem existens faciebat ut ceteri homines, nec volebat ulla habere praerogativas speciales. Non sic multi in communi congregatione positi faciunt, qui praeceteris praerogativas singulares habere volunt.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XIII, 31-35.

1 **I**n illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo;

32 quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, maius est omnibus oleis; et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant, et habitent in ramis eius.

33. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum coelorum fermento, quod accipit mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum.

34. Haec omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas; et sine parabolis non loquebatur eis:

35. ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTH., CAP. 13.

1045 **N**ON sit molestum lectori, si totas parabolae proponimus. Quae enim obscura sunt, plenius disserenda sunt, ne brevitate nimia involvantur magis sensus quam exponantur. Regnum coelorum, praedicatione Evangelii est, et notitia Scripturarum quae ducit ad vitam: et de qua dicitur ad Iudaeos: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* (MATTH. XXI, 43). Simile est ergo huiusmodi regnum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. Homo qui seminat in agro suo, a plerisque Salvatore intelligitur, quod in animis creditum seminat. Ab aliis, ipse homo seminat in agro suo, hoc est, in semetipso

et in corde suo. Quis est iste qui seminat, nisi sensus noster et animus, qui suscipiens granum praedicationis, et fovens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare? Praedicatione Evangelii minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, Deum mortuum, et scandalum crucis praedicans. Confer huiusmodi doctrinam dogmatibus philosophorum, et libris eorum, splendori eloquentiae, et compositioni sermonum, et videbis quanto minor sit ceteris seminibus sementis Evangelii. Sed illa cum creverit, nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum marcidumque et mollium ebullit in olera, et in herbas, quae cito arescunt et corrumpunt. Haec autem praedicatione, quae parva videbatur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exsurgit in olera, sed crescit in arborem; ita ut volucres caeli (quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei servitio mancipatas, sentire debemus) veniant et habitent in ramis eius. Ramos puto evangelicae arboris, quae de grano sinapis creverit, dogmatum esse diversitates, in quibus supradictarum volucrum unaquaque requiescit. Assumamus et nos pennas columbae (PSAL. LTV, 7), ut volitantes ad altiora, possibile habitare in ramis huius arboris, et nidulos nobis facere doctrinarum, terrinaeque fugientes, ad coelestia festinare. Multi legentes granum sinapis minimum omnibus seminibus, et illud quod in Evangelio a discipulis dicitur: *Domine, adauge nobis fidem* (LUC. XVII, 5); et respondetur eis a Salvatore: *Amen dico vobis, si habueritis fidem quasi granum sinapis, et dixeritis monti huic, migra de loco isto, migrabit* (Ibid. 6), putant Apostolos vel parvam fidem petere, vel Do-

minum de parva fide dubitare; cum Apostolus Paulus fidem grano sinapis comparatam maximam iudicet. Quid enim dicit? *Si habuero totam fidem, ita ut montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I COR. XII, 2). Ergo quod Dominus dixit fide fieri, quae grano sinapis comparetur, hoc Apostolus docet tota fide posse fieri.

1046 *Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum. Diversus est hominum stomachus: alii amaris, alii dulcibus, alii austerioribus, alii lenibus delectantur cibis. Proponit itaque Dominus, ut iam supra diximus, diversas parabolas, ut iuxta vulnerum varietates et medicina diversa sit. Mulier ista, quae fermentum accepit, et abscondit illud in farinae satis tribus, donec fermentaretur totum, vel praedicatio mihi videtur apostolica vel Ecclesia, quae de diversis gentibus congregata est. Haec tollit fermentum, notitiam scilicet et intelligentiam Scripturarum, et abscondit illud in farinae satis tribus, ut spiritus, anima, et corpus in unum redacta, non discrepent, inter se; sed cum duobus et tribus conuenerint, impetrent a Patre quodcumque postulauerint (MATH. XVIII, 19). Disseritur locus iste, et aliter. Legimus in Platone, et philosophorum dogma vulgatum est, tres esse in humana anima passiones, τὸ λογικόν quod nos possumus interpretari rationale: τὸ θυμικόν quod dicamus, plenum irae, vel irascibile: τὸ ἐπιθυμητικόν quod appellamus, concupiscibile: et putat ille philosophus rationale nostrum in cerebro, iram in felle, desiderium in fecore commorari. Et nos ergo si acceperimus fermentum evangelicum sanctarum Scripturarum, de quo supra dictum est, tres humanae animae passiones in unum redigentur,*

ut in ratione possideamus prudentiam; in ira, odium contra vitia: in desiderio, cupiditatem virtutum; et hoc totum fiet per doctrinam evangelicam, quam nobis mater Ecclesia praestitit. Dicam et tertiam quorundam intelligentiam, ut curiosus lector e pluribus quod placuerit, eligat: Mulierem istam et ipsi Ecclesiam interpretantur, quae fidem hominis farinae satis tribus commiscuerit creditati Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Cumque in unum fuerit fermentata, non nos ad triplicem Deum, sed ad unius diuinitatis perducit notitiam. Farinae quoque sata tria, dum non est in singulis diversa natura, et ad unitatem trahunt substantiae. Pius quidem sensus, sed numquam parabola et dubia aenigmatum intelligentia, potest ad auctoritatem dogmatum proficere. Satum autem genus est mensurae, iuxta morem provinciae Palaestinae, unum et dimidium modium capiens. Dicuntur et alia de hac parabola, sed non est praesentis materiae totum de omnibus dicere.

1047 *Haec omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis. Non discipulis, sed turbis per parabolas loquitur; et usque hodie turbae in parabolis audiunt: discipuli domi interrogant Salvatorem.*

1048 *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. Hoc testimonium de septuagesimo septimo psalmo sumptum est. Legi in nonnullis codicibus, et studiosus lector forte reperiet id ipsum, in eo loco ubi nos posuimus, et Vulgata habet editio: Ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem, ibi scriptum, per Isaiam prophetam dicentem. Quod quia minime inueniebatur in Isaiam, arbitror postea a prudentibus viris esse sublata. Sed mihi videtur in principio ita editum:*

*Quod scriptum est per Asaph prophetam, dicentem. Septuagesimus enim septimus psalmus, de quo hoc sumptum est testimonium, Asaph prophetae titulo inscribitur. Et primum scriptorem non intellexisse Asaph, et putasse scriptoris vitium, atque emendasse nomen Isaiam, cuius vocabulum manifestus erat. Sciendum est itaque, quod in psalmis et hymnis et canticis Dei, non solum David, sed et ceteri, quorum praescripta sunt nomina, prophetae sint appellandi; Asaph videlicet et Idithum, et Eman Ezraites, et Aethan, et filii Chore, et reliqui quos Scriptura commemorat. Quodque ex persona Domini dicitur: *Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita a constitutione mundi, considerandum attentius et inueniendum describi egressum Israelis ex Aegypto, et omnia signa narrari, quae in Exodi continentur historia. Ex quo intelligimus universa illa quae scripta sunt, parabolica sentienda: nec manifestam tantum sonare litteram, sed et abscondita sacramenta; hoc enim se Salvator edicturum esse promittit, aperiens os suum in parabolis, et eructans abscondita a constitutione mundi.**

Varia de Dominicis et Feriis, ex Azevedo.
(DE DIVINO OFFICIO, EXERCIT. 15, 16)

1049 **S**EPTESSARI dierum numeri institutio, quibus hebdomada componitur, Deum ipsum sibi vindicat Auctorem, qui hebraeis septimam diem Sabbatum appellatam, diem quietis, et festivitatis praescripsit, ac mandavit. Christiani autem eius diei celebritatem in diem Dominicam transulerunt, quod hac ipsa die Dominus noster praecipua Fidei nostrae mysteria dignatus sit operari.

1050 **H**ac enim die, uti Sancti Patres observant, novae lucis primordia mundi originem illustraverunt: patres nostri mare rubrum siccato vestigio transierunt; panem de coelo omne delectamentum in se habentem acceperunt. Initio eiusdem diei natus de Virgine Christus, dictaque die postmodum baptizatus, aqua in vinum mutata recreavit convivas, et de quinque panibus multiplicatis quinque millia

hominum satiavit. Hac die a mortuis suscitatus, et ianus clausis ingressus ad discipulos dedit eis Spiritum sanctum, et potestatem remittendi peccata: ipse vero Spiritus sanctus Discipulorum corda divinis charismatibus replevit.

1051 **P**rimarium tamen obiectum, quod sibi translatione Sabbati in Dominicam diem constituere, in eo repositum est, ut Servatoris mundi resurrectionem colerent; cum nisi Christus resurrexerit, inanis sit fides nostra. Quapropter inditum est illi nomen Domini, quod Graece Κυριακος, vel Αναστασιμος, dicitur, Dominicae vero appellatio eiusdem est antiquitatis ac ipsa Ecclesia: legitur enim in Apocalypsi cap. I, qua die videlicet Ioannes mirandam illam visionem vidit, cuius plura sunt Sacramenta, quam verba. Evangelistae autem illam unam Sabbati, vel primam Sabbati vocant, seu primam post Sabbatum diem. Nam Sanctus Matthaeus scribit, Christum resurrexisse Sabbati nocte exeunte: *Vespere Sabbati, quae incedit in prima Sabbati*. S. Marcus ait, id ineunte, qui post Sabbatum sequitur, die contigisse: *Valde mane una Sabbatorum*; mane prima Sabbati. S. Ioannes: *Die illo una Sabbatorum*. Eodem quoque die celebris fidelium conventus tempore Apostolorum fuit habitus: sacrificiumque peragi solitum: *Una Sabbati cum conuissimus ad frangendum panem*. Meminit Sanctus Paulus, I Cor. 16, eleemosynae, quae in coelibus illis, singulis Dominicis colligebatur per unam Sabbati.

1052 **Q**uocirca certum est Dominicae diei festivitatem ab Apostolis institutam fuisse ad Christi Resurrectionis mysterium commemorandum, eiusque cultum singulis hebdomadis innovandum. Hinc apud veteres Patres fidelium conventus habiti videntur ea die, quae ab ethenicis dies solis appellabatur: *Conventus hos*, inquit S. Iustinus, Apol. 2, *die solis facimus, quia eadem die Servator surrexit*. Theophilus Alexandrinus apud Balsamon. de huius diei celebritate agens ait: *Et consuetudo, et officii ratio postulat, ut diem Dominicam honoramus, eamque festum habeamus*. Omnium tamen vetustissima lex de Dominicae diei observatione lata est in Concilio Laodiceno, postquam Constantinus iusserat, eam diem in universo Romano Imperio esse celebrandam, atque non solis amplius, sed Domini diem esse dicendam.

1053 **C**um vero dies Dominica Divino praecipue cultui esset sacra, in Deo laudando tota fore transigebatur: *Die Dominica nihil aliud agunt, nisi Deo vacent*, inquit Cassianus; *Die Dominico* (ait S. Benedictus) *lectioni vacent omnes*; unde officium eo die prolixius fuisse, perspectrum habemus ex vita S. Sabae, in cuius monasterio nox in precibus peragebatur. Aegyptii Monachi noctem in tria Of-

ficia, vel Nocturnus particbantur. Apud S. Caesarium, et S. Benedictum, atque ubique, Officium fuscus erat; isque mos Romae ad Matutinum, et Primam ad haec usque tempora viget....

1054 Id etiam proprium erat Dominicae diei, ut nullae publici officii preces flexis genibus fierent; qui mos vetustissimus est, cum apud Tertullianum, uti alibi animadvertimus, tanquam ab omnibus receptus legatur: *Die Dominico nefas de geniculis adorare*. Quin Concilium Nicaenum Can. 2, consuetudinem quarundam Ecclesiarum abolevit, in quibus, Dominici, et Paschali tempore preces flexis genibus recitabantur; iubetque, ut una orationes fundendi ratio ubique servetur, temporibus illis Deum in ecclesiis, omnibus stantibus, esse orandum. Unde Radulphus conqueritur, quod ad ea Symboli verba: *Incurvatus est*, genua etiam Dominici diebus flecterentur, existimans nimirum id Concilio Nicaeno esse adversum....

1055 Opinatus est S. Augustinus, Ferae appellationem profanorum nominum loco invecum fuisse, ut alla esset in Ecclesia ab ethnica superstitione loquendi ratio: nihilominus ethnica nomina ad hodiernam diem supersunt; atque Ecclesia pluribus Ferais eorum Sanctorum nomina indidit, quorum Festum celebratur. Quocirca Ferae vox, quae ab ethnicis ad Christianos translata est, dies, quibus ab opere vacandum erat, apud illos denotabat. Hinc Christiani primum, ut Dominicam, ceterosque dies Domino sacros significarent, eo vocabulo usi sunt; paulo autem post singulos hebdomadae dies ita appellarent. Unde decepti sunt, qui appellationem hanc Ferae a S. Silvestro impositam existimant, ut profanorum eorum nomina, a quibus denominabantur, aboleret, ipsa Ferae denominatio longe ante S. Silvestrum fuerit inter Christianos recepta, uti liquet ex Tertulliano, qui *Quartae, et Sextae Ferae* meminit stationi et ieiunio destinatarum.

1056 Scriptura autem sacra habito ad Sabbatum respectu, singulos hebdomadae dies, Dominicam *nonum Sabbati*, Feriam vero secundam, et tertiam, *Secundam et tertium Sabbati* appellat. Ecclesia vero Sabbati loco, Festi, vel Ferae vocabulo utitur, atque diem, quam ethnici Lunae, iudaei primam post Sabbatum vocabant, ipsa secundam Feriam dicit, et sic de ceteris diebus. *Una Sabbati dies Dominicus est*, inquit S. Augustinus in Psalm. 93, *secunda Sabbati, quem saeculares Lunae diem vocant, tertium Sabbati, tertia Fera, quam diem illi Martis vocant*. Existimat S. Isidorus Hispalensis lib. 2 de Nat. c. 3, appellationes istas Ferae, vel Festi a praecedente Sabbato acceptas esse, atque Dominicam, primam Feriam, diem Lunae secundam Feriam dictas fuisse, quod primus sint, vel se-

cundus post Feriam dies: *Primo, aut secunda dies a Fera, aut a Sabbato*. Sanctus vero Augustinus lib. 1 de serm. Dom. in monte, opinatur, ad Paschalis hebdomadae formam, quae tot festis constabat, ceterarum hebdomadarum dies Feriarum nomen accepisse: *In celebratione Octavarum Feriarum quas in regeneratione novi hominis celebramus*. Porro exinde allarum hebdomadarum diebus Feriarum nomen inditum est, quemadmodum Dominica prima dies appellatur, licet id soli Paschalis diei demonstrando primum inserviret. Si tamen Ferae apud ethnicos dies Festi erant, affirmandum Christianos eam denominationem singulis hebdomadae diebus accommodasse, quia nulla est apud hos dies, quae Deo sacra non sit: *Omnis dies etiam vulgata consecratione fit*, adnotat Tertullianus. Demum iuxta alios Feriarum appellatio inde derivata est, quod Clericis Festerum loco sint singuli dies, cum ob institutum suum omnibus saecularibus negotiis renuntiare, atque a rerum civilium tractatione vacare debeant.

1057 Testatur Amalaricus, Feriarum officium eodem fore pacto, quo hodiernum, olim fuisse distributum; videlicet, Nocturnum Officium Invictiorum non habebat; idque diu post Amalarici tempora viguit; unicus erat Nocturnus duodecim Psalmis, et sex Antiphonis constans: semel tantum per noctem surgebant, neque noctis officio protrahendo iudebant, quia interdiu opus erat faciendum. Unde hyme, cum noctes prolixiores sunt, quatuor lectiones, et quatuor responsoria, aestate vero tres tantum recitabantur. Ad Laudes primus Psalmus quotidie assignabatur quinquagesimus, *Miserere*, Canticum quoque a Propheta aliquo pettum singulis diebus, Isaiae, Ferae secunda dicebatur; ceteraque illa ipsa erant, quae ad hodierna tempora quotidie recitari solent. Singulis diebus *Deus Deus meus, et Deus miseratur*, duo *Laudate, et Cantate*, atque semel *Gloria Patri* canebantur. Ad minores Horas nulla Antiphona habebatur, sicuti hisce temporibus die, atque hebdomada Paschali servatur; tunc enim *Alleluia* tantum dicitur, atque Dominici adhuc ter tantum *Alleluia* recitatur, quater vero tempore Paschali. *Kyrie*, pluresque preces flexis genibus praescribebantur, quae et hodiernum maiorum Feriarum diebus supersunt. Horas singulas preces hae clauderant, *Pater*, atque *Miserere*, quas genuflexi exsolvebant; unde *Miserere* nostro etiam aevo dicitur tribus ante Pascha diebus. *Te Deum* autem Dedicacionis tantum, vel Apostolorum Festis, teste Micrologo cap. 39, decantabatur. Officium itaque; nocturnum praecipue, Laudum, et Vesperarum certo quodam Psalmorum numero, ab aliis, quos obtinebat Dominica, diversorum semper constitit. Verum, quod ad minores

diei Horas attinet; cum illae pro Dominica primum institutae fuissent, postquam eas Ferae adhiberi placuit, quae Dominica recitata fuerant, repetebantur.

1058 Haud incongruum hic ducimus, anteriores Feriarum in medium proferre notiones. Fera igitur secunda aeternae sapientiae; Fera tertia Spiritus sancti cultui; Fera quarta fidelium exercitationi, quae statio dicebatur, et ieiunium, ac precibus erat destinata. Fera quinta apud ethnicos praecipue falsis numinibus sacra erat; unde ab ipsis, quasi Festum habita fuit. Quocirca Concilium Narbonense, saeculo sexto habitum, impium reputat Fera quinta, sive die, Iovis nomen praefereute, ab opere vacare; privatque communione eos, qui id agunt, atque virgini ancillas, et famulos puniri iubet. Subinde Gregorius II decrevit, ut Fera quinta, Quadragesimae tempore ieiunium, et proprium Officium, aliorum dierum instar haberet. Feriam sextam Constantinus in Servatoris nostri Passionis memoriam coli iusserat; et S. Auxentius, qui saeculo quinto claruit, populos hortabatur, ut diem illam, sicuti Festam, venerarentur, precibusque, et ieiunio propter Dominicam Passionem transigerent. In Occidente quoque ea die, ut Fera quarta statio fiebat, et ieiunium, vel quasi ieiunium, quae hora nona, vel tertia pomeridiana desinebant; quibus deinde successit abstinentia a carnibus. Verum Nicolaus I ad Bulgaros scribens, de ieiunio quidem, et abstinentia Ferae sextae agit; sed eos a ieiunio et abstinentia Ferae quartae solvit. Sabbatum quolibet aevo in Oriente, praeterquam Alexandriae, teste Socrate lib. 5, c. 2, celebratum fuit. Romae autem cum propter traditionem quandam solemne non esset, haud dubie, uti adnotavit Concilium Laodicenum Can. 29, ne Synagogae quietem imitari videremur, ea die ieiunium servabatur, quod statutum in Concilio Eliberitano S. Gregorius VII in abstinentiam a carnibus immutavit.

FERIA SECUNDA

Homilia S. Thomae Aquinatis.

IN MATTH. CAP. 13.

1059 **P**ER duas ostendit impedimentum evangelicae doctrinae. Sed quia posset aliquis dicere: Si ita est, quod ita impeditur, quod quaedam seculi viam, quaedam super petram, etc., videtur quod non possit proficere; ideo subdit de profectu parabolice, quod sci-

licet profecerit propter duo. Primo propter parvitatem apparentem; secundo propter occultationem. Ideo duas parabolae ponit. Secunda ibi: *Aliam parabolam locutus est eis*. Tertio confirmat modum per auctoritatem prophetiae, ibi: *Haec omnia locutus est Iesus in parabolis*. Circa primum primo agit de seminatione; secundo de parvitate seminis; tertio de magnitudine fructus. Secundum ibi: *Quod minimum quidem est omnibus seminibus*; tertium ibi: *Quod cum creverit maius est omnibus oleribus*. Dicit ergo: *Simile est regnum coelorum grano synapsis*, etc. In regno est rex, princeps, subditi, et etiam incarcerati. Item divitiae, etc. Ideo ad haec omnia possumus assimilare regnum. Quod ergo dicit quod *simile est regnum coelorum grano synapsis*, potest exponi, sicut dicit Hieron., quod per granum synapsis doctrina evangelica intelligitur. Et quare? quia granum istud fervidum est; item venena repellit. Et hoc significatur, quia doctrina evangelica per fidem facit fervescere; infra xvii, 19: *Si habueritis fidem sicut granum synapsis, dicitis monti huic: Transi hinc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis*. Item excludit errores; unde utilis est ad arguendum, ut habetur II ad Thimoth. iii.

1060 *Quod accipiens homo seminavit*. Homo iste est Christus, qui seminavit istud semen; vel quilibet homo qui doctrinam evangelicam seminat. *In agro suo*, id est in corde suo, quando ei praebet ascensum. Christus seminavit, quia fidem dedit in qua salvi sumus; Ephes. cap. ii, 8: *Gratia enim salvati estis per fidem, et non ex vobis, Dei enim donum est*. Item quilibet, qui obedit, seminat in agro, id est in corde; Prov. xxiv, 27: *Diligenter exerce agrum tuum*. In isto agro sunt diversa semina, quae sunt diversa dogmata. Dogmata Hieronymi et Augu-

stini magna videntur, et confirmantur magnis argumentis: similiter doctrina legis. Sed doctrina legis evangelicae modica apparuit, quia praedicabat Deum passum, crucifixum et huiusmodi. Et quis posset hoc credere? I ad Cor. 1, 18: *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt, idest nobis, virtus Dei est.* Et ideo dicit: *Quod minimum quidem est omnibus seminibus;* unde primo minima apparuit. Sequitur magnitudo. Et primo ponitur magnitudo; secundo confirmatur, ibi: *Cum autem creverit, idest pullulaverit, maius est omnibus oleribus,* quia doctrina evangelica magis fructificavit quam doctrina legis, quia doctrina legis non fructificavit nisi inter Iudaeos; unde dicebatur Ps. cxlvii, 20: *Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis.* Non enim fuit aliquis philosophus qui aliquam patriam potuerit totam convertere ad suam doctrinam: si enim aliquis philosophus, sicut Plato, dixisset quod talis et talis veniet, non crederetur ei. Ps. cxviii, 85: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Maior est ergo in soliditate, in generalitate et in utilitate. In soliditate: *Et fit arbor,* quia aliae doctrinae sunt olera mollia nihil firmum habentia, quia rationi humanae subiecta; Sap. ix, 14: *Cogitationes enim mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae;* sed haec est arbor firma; Ps. cxviii, 89: *In aeternum, Domine, permanet verbum tuum;* Luc. cap. xxi, 33: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Ideo sicut haec arbor se habet ad alias arbores, ita haec doctrina ad alias. Ita ut volucres coeli veniant, et habitent in ramis eius. Item praest in generalitate doctrinae: quia haec scientia multos ramos habet, et exhibet homini quae sunt necessaria ad vitam. Unde si sunt coniugati, habent per istam qualiter se

regere debent, sic clerici quomodo vivunt, et sic de aliis: ideo diversa dogmata sunt diversi rami. Item praest utilitate, quia volucres habitant in ramis eius, idest omnes qui habent animum in coelis; ad Philipp. iii, 20: *Nostra conversatio est in coelis.* Isti veniunt, et meditantur, et quiescunt: qui enim habitant in terra, non sunt volucres; II ad Cor. iv, 18: *Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur: quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna sunt.* Chrysostomus exponit de Apostolis, quos comparavit grano synapsis, quia erant spiritu ferventes; et istud seminavit homo, idest Christus, in agro, idest in Ecclesia, ex quo tota fructificatio accidit Ecclesiae; et fuerunt modici et abiecti; nulla enim scientia divulgata est per tam deiectos homines; unde Apostolus, I Cor. i, 27: *Non multi sapientes, sive potentes, non multi nobiles; sed quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes,* etc. *Sed cum creverit, maius est effectum omnibus,* quia Apostoli maiorem fecerunt fructum. Alexander convertit unam partem mundi ad se, Roma similiter sed numquam tantum sicut isti, qui tantum fecerunt, ut volucres coeli, idest boni, requiescant in ramis, idest in doctrinis eorum; Zach. vii, 23: *Apprehendent fimbriam viri Iudaei dicentes: Ibiinus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.* Hilarius exponit de Christo, qui fuit granum synapsis propter fervorem, quia plenus Spiritu sancto, quod seminavit postea in morte, in agro, idest in populo, quod minimum fuit propter contemptum infidelium; Is. lxi, 2: *Vidimus eum, et non erat ei aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. Et maius est omnibus oleribus, idest omnibus perfectis.* (Iob xxviii, 17).

Non adaequabitur ei aurum. Et comparantur perfecti oleribus, quia olus datur infirmis: qui infirmus est, olera manducet. Sed doctrina Christi perfectis datur, et sic fit arbor. Et hoc significatur per arborem, de qua habetur Dan. iv.

1061 *Aliam parabolam locutus est eis.* Hic ponitur parabola de profectu, et ostenditur mirabilis, quia de semine occulto; unde dicit: *Simile est regnum coelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum.*

1062 Notate quod non est inconveniens, idem aliquando in bonum, aliquando in malum interpretari, sicut petra aliquando interpretatur Christus, aliquando contrarium, ut duritia; Ezech. xxxvi, vers. 26: *Asperam a vobis cor lapideum de carne vestra.* Ita fermentum aliquando interpretatur in malum, in quantum habet corruptionem; I ad Cor. cap. v, 7: *Expurgate vetus fermentum,* etc. Item ibid.: *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Sed secundum quod habet fervorem et virtutem dilatandi, sic sonat in bonum.

1063 Quid ergo significatur per illud? Significantur quatuor. Chrysostomus dicit, quod istud fermentum sunt Apostoli. Mulier, divina sapientia, abscondit, eos, in farinae satis tribus, idest in tribulationibus oppressit. Sed primo accepit; unde Io. xv, 19: *Ego vos elegi de mundo ut eatis.* Quos misit inter fideles, posuit in farinae satis tribus. Satus est mensura, et valet modium et dimidium; idest in tribus mensuris farinae. Et quare in tribus? Ponitur finitum pro infinito, quia inter multas gentes. Vel propter tres partes mundi, quia ad omnes missi; vel propter gentes, quae a tribus filiis Noe ortae sunt. *Donec fermentatum est totum,* idest donec omnes converterentur ad

Deum; Psal. xviii, 5: *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Vel aliter, secundum Augustinum, per fermentum fervor charitatis significatur, quia sicut fermentum dilatat, sic charitas; Psal. cxviii, 32: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Mulier, ratio vel anima, abscondit in tribus, idest in toto corde, in tota anima, in totis viribus. Vel per tria sata tres status, scilicet praelatorum, contemplativorum et activorum, qui per Noe, Iob et Daniel intelliguntur. Vel possunt referri ad fructum centesimum, sexagesimum et trigesimum. Hieronymus exponit de doctrina evangelica, quam mulier, idest sapientia, abscondit in tribus satis, quae sunt spiritus et anima, vel irascibilis, et concupiscibilis, et rationalis. Vel aliter, per mulierem intelligitur fides; per tria sata, tres personae in divinis. Hilarius exponit de Christo, qui est fermentum, quod per Providentiam Patris in mundo absconsum est in lege triplici, lege naturae, lege mosaica, et lege evangelica.

1064 *Haec omnia locutus est Iesus in parabolis,* etc. Positis diversis parabolis ad turbas, hic confirmat, vel approbat per auctoritatem prophetarum. Et dividitur in tres; quia primo ponitur consuetudo Christi circa parabolicam lectionem; secundo adhibetur auctoritas; tertio ponitur praecedentium expositio. Secunda ibi: *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam;* tertia ibi: *Tunc dimissis turbis, venit in domum.* Dicit ergo: *Haec omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas.* Quare ergo turbis loqueretur in parabolis, ratio est duplex: quia in turba permixti erant aliqui fideles, et aliqui infideles: item aliqui benigni, et aliqui maligni: propter malignos et infideles loquebatur sic, ut non intelligerent, ut supra dictum est, ut videntes non vi-

deant: propter fideles, ut melius capiant, melius retineant. Et hoc habetur Marc. iv, Paulus I ad Cor. vii, 1: *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus.*

1065 *Et sine parabolis non loquebatur eis.* Hoc videtur falsum, quia in sermone Domini in monte, et in multis aliis non loquebatur in parabolis. Chrysostomus sic solvit, quod verum est de ista tota locutione, quia istam totam praedicationem ad turbas parabolice locutus est. Augustinus sic, quod ideo non sine parabolis, quia aliquam locutionem non est locutus ad turbas, quin permiscerit aliquam parabolam. Unde in sermone Domini in monte permiscuit, ubi dixit (c. vi, 3): *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Et dicit, quod si aliquando invenitur sine parabola, dicendum quod Evangelistae non secundum ordinem narraverunt: unde etsi non sit scripta parabola intelligi debet, propter hoc quod ibi dicit, quod sine parabolis non loquebatur eis, et nisi commisceret parabolam.

1066 *Ut adimpletetur quod dictum est per Prophetam dicentem (PSALM. LXXVII, 2): Aperiam in parabolis os meum.* Duplitter locutus est Dominus humano generi. Primo in prophetis; secundo in seipso; Is. LII, 6: *Ecce ego qui loquebar, ecce adsum.* Utroque parabolice locutus est, in prophetis multipliciter, et per seipsum similiter: quod enim factum est in prophetis, signum fuit eius quod faciendum erat per Christum; unde dicit: Ego Dominus, qui aperui os prophetarum in parabolis, aperiam in meipso. *Eructabo abscondita a constitutione mundi.* In aperitione oris est manifestatio secretorum, ut supra; eructatio ex intimis est. Tunc eructat quando de profundo sapientiae emittit; Ps. LXXIV, 2: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Sapientia Domini abscon-

dita est; Iob. XXVII, 21: *Abscondita est ab oculis omnium viventium;* Io. 1, 18: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit,* etc. Eructavit abscondita, et quae fuerunt occulta a mundi constitutione; ad Ephes. III, 5: *Quod aliis generationibus non est agnatum filiis hominum sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis eius, et prophetis in spiritu.* Vel aliter. Eructabo ea, quae sunt a constitutione mundi, quae sunt abscondita. Et quare? Quia ipse est a constitutione mundi, et ipse nobis revelavit seipsum per ea quae fecit; Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Varia de Baptismo D. N. I. C.
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21.)

1067 **C**um ergo Ioannes cognovisset iustitiam sic et tali ordine debere compleri; Spiritus enim in momento eum docuit quod prius nescivit, *tuus*, consensit et dimisit eum, a se baptizari, id est, non ulterius restitit, non ulterius contradixit, quinimo, ut baptizaretur acquivit, et eum secundum suam voluntatem facere permisit. Quasi tenebat eum Ioannes, et reverentia prohibendo, sed dimisit eum, obediendo; vera enim est humilitas, quam comes obedientia non deserit; et ideo officium quod prius timens et expavescens humiliter recusavit, postea consentiens et obediens devote implevit. Unde Bernardus: *Acquievit Ioannes et obediit, baptizavit Agnum Dei et aquis lavit.* Nos abluti sumus, non ille; quia nobis lavandis aquae cognoscuntur ablatae; haec Bernardus. Nunc ergo bene ipsum Dominum conspice. Spoliatus Dominus maiestatis sicut quilibet alius homunculus, et Creator elementorum sublitic se humili elemento aquae, et mergitur in aquis frigidis, tempore magni frigoris, pro nostro amore. Operatur nostram salutem, tactu sacri corporis aquas mundanas et consecrans, ac vim regenerationis et ius baptismatis eis conferens, sacramentumque baptismatis sanctificans et constituens, ac crimina nostra lavans et purgans, desponsat sibi universalem Ecclesiam, et omnes animas fideles; nam in fide Baptismatis desponsamur Domino nostro Iesu Christo, Propheta in persona ipsius dicente: *Sponsabo te mihi in fide;*

FERIA TERTIA

Homilia S. Petri Chrysologii.

SERMO 98.

1068 **A**UDISTIS hodie fratres, quemadmodum grano sinapis tota regni coelestis comparata est magnitudo. Et quid est quod potestatem tantam, sic parva, sic minima, imo minimorum minima similitudo concludit? Sic enim ait Dominus: *Cui simile est regnum Dei? et cui simile aestimabo illud?* Cum dicit: *Cui est simile,* quasi quaerentis indicat et producit affectum. Et ille solus verbum, scientiae fons, dicendi flumen; qui omnium corda rigat, sensus aperit, ingenium dilatat, in invenienda similitudine nunc laborat? Sed quid inveniri audiamus. *Simile est,* inquit, *regnum coelorum grano sinapis.* Quaerens in coelo et in terra, nil invenit nisi granum sinapis, in quo potentiam totam supernae dominationis includat: et illud regnum singularitate potens, aeternitate felix, divinitate fulgens, diffusum toto coelo, tota terra dilatatum, in grani sinapis coarctat et concludit angustias? *Simile est regnum coelorum grano sinapis.* Spes ista est credentium tota? Expectatio ista est fidelium summa? *Ista est felicitas Virginum longis continentiae laboribus comparata?* *Ista est gloria Martyrum totius effusione sanguinis conquisita?* Hoc est: *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?* hoc est, quod ineffabilis sacramento diligentibus Deum promittit Apostolus esse praeparatum? Fratres, non facile dominicis moveamur in dietis: nam si: *Infirmum Dei, fortius est hominibus; et stultum Dei, sapientius est hominibus;* hoc minimum Dei tota magnitudine mundi magnificentius invenitur; si modo hoc granum sinapis nos sic nostris semine-

unde haec solemnitas et haec operatio valde utilis est et magna, et ideo laetanter cantat Ecclesia: *Hodie coelesti Sponso iuncta est Ecclesia, quoniam in Jordani lavit Christus eius crimina.* Unde Anselmus: *At vero ubi robustioris aetatis plenitudo advenit, missuras manus ad fortia, egressus es in salutem populi tui, ut gigas fortis ad currendam viam totius nostrae miseriae. Et primum quidem ut per omnia te fratribus assimilares, servum tuum baptizantem peccatores in poenitentiam, tanquam peccator adisti, baptizari quoque te postulasti. Innocens Agne Dei, quem nulla peccati stilla vel cogitatio unquam maculavit, baptizatus es, non te in aquis, sed aquas in te sanctificans, ut per eas sanctificares nos.* Unde et Chrysostomus: *Baptizatus est Christus Ioannis baptismo, ut ex ipsa natura baptismatis scias, quia neque peccati causa, neque propter indigentiam doni Spiritus baptizatus est. Iudaicum quidem baptismum aboleatur ac desinit, nostrum vero sumit exordium; quodque in Paschae mutatione factum est, idipsum efficitur etiam innovatione baptismatis. Nam et Pascha Dominus cum utrumque celebraverit, illi quidem terminum posuit, huic vero principium. Ille ergo postquam Iudaicum implevit baptismum, continuo et ianua Ecclesiae reseravit. Sicut ergo in una tunc mensa, ita in uno nunc flumine, et recepti umbram, et abdidit veritatem. Sancti enim Spiritus gratia in Christi baptismo est; Ioannis vero baptisma hac donatione privatur.* Et iterum: *Quia ergo novum baptismum daturus erat ad humani generis salutem et remissionem peccati, prior ipse baptizari dignatus est, non ut peccata deponeret, qui peccatum solus non fecerat, sed ut aquas baptismi solus sanctificaret, ad diluenda peccata credentium. Numquam enim aquae baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu Domini corporis sanctificatae fuissent. Ille ergo baptizatus est, ut nos lavaremur a peccatis. Ille tinctus est aqua, ut nos a delictorum sordibus purgaremur. Ille lavacrum regenerationis accepit, ut nos ex aqua et Spiritu sancto renasceremur. Baptismus ergo Christi ablutio est peccatorum nostrorum, et renovatio vitae salutaris. Per baptismum enim peccato morimur, sed Christo convivimus; vitae pristinae sepelimus, sed novae vitae resurgimus; vetusti hominis errore exuimur, sed novi hominis indumenta suscipimus;* haec Chrysostomus.

mus in mentibus, ut intelligentiae magnam nobis in arborem crescat: et sensus altitudine tota levetur ad coelum, ac totos scientiarum diffundatur in ramos: atque ita ora nostra ferventia vivo fructus sui sapore succendat, et ita igne seminis sui toto nobis ardeat, et flammetur in pectore: atque nostrae ignorantiae totum nobis auferat sua degustatione fastidium. *Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam, et volucres coeli requieverunt in ramis eius.* Grani sinapis, sicut dicit, instar est regnum Dei, quod de supernis affertur verbo, suscipitur auditu, fide seritur, credulitate radicatur, spe crescit, confessione diffunditur, virtute tenditur, et dilatatur in ramos, ad quos vocat aves coeli, id est, spirituales sensus, atque in ipsis eas quiescit mansione. Veniat haereticus, veniat, quia redeuntibus Ecclesiae semper patescit ingressus, veniat, audiat, et pietati dominicae iam desinat oblatrare. Si coelestis regni maiestas omnis ad grani sinapis similitudinem venit, quid quaeritur, quod Deus ad hominem, dominus servi descendit in formam? Sic enim venit haereticus, ut tibi totum per fidem cresceret, cui iam totum defecerat per naturam. *Simile est regnum coelorum grano sinapis.* Sed sinapis revertamur ad granum: sic tota regni summa manet, et consistit in regno coelorum. Christus est regnum coelorum, qui velut granum sinapis in hortum, virginei corporis misus, orbe toto crucis in arborem crevit, ac tantum dedit fructus sui saporem, cum teritur passione; ut quicquid est vitale suo saporaret et condiret actatu. Nam sicut in integritate grani sinapis virtus habetur occulta, apparet vero virtus eius vehementissime, si teratur; ita Christus corpore teri voluit, qui suam

noluit latere virtutem. Et nos, fratres, teramus istud granum sinapis, ut eius vim in hac similitudine sentiamus. Christus Rex, quia tota ipse est origo regnandi: Christus regnum, quia in ipso est regni sui tota maiestas: Christus homo, quia totus homo reparatur in Christo: Christus granum sinapis, unde magnitudo tota Dei, tota hominis exigitate minoratur. Et quid plura? Omnia ipse factus est, ut in se repararet omnes, Christus homo accepit granum sinapis, hoc est, regnum Dei accepit homo Christus, quod habuit semper Deus Christus: misit in hortum suum hoc est in Ecclesiam sponsam. Huius horti saepe meminit in Canticis Canticorum, dicendo: *Hortus clausus.* Ecclesia hortus est Evangelii vomere orbe toto diffusus cultura, clausus stimulis disciplinae, ab omni pessimo gramine Apostolico labore purgatus, fidelium plantariis, liliis Virginum, rosis Martyrum, Confessorum viriditate amoenus, fragrans floribus sempiternis. Hoc itaque granum sinapis in hortum suum misit Christus, id est, promissione regni sui, quod radicatum est in Patriarchis, natum est in Prophetis, crevit in Apostolis, in Ecclesia fecit arborem magnam, multiplices dedit in donationibus ramos, quos enumerat Apostolus, dicendo: *Alii datus est sermo sapientiae, alii verbum scientiae, alii cura sanitarum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum.* Audistis fratres, istud granum sinapis in arborem quam prorupit, audistis quas fundavit radices, audistis quales, quantosque se iam diffuderit, et seaverit in ramos, in quibus coeli, non aeris aves, in pennis sapientiae et prudentiae volatu, fidei securitate requiescant. Et tu audi, si vis terrenas bestias non timere, si vis evitare aves rapaces voraces yltures, hoc est, aves aereas, quae sunt

FERIA QUARTA

Homilia S. Petri Chrysologi.

SERMO 99.

omnes nequitiae spirituales, elevare a terra, terrena deserere, sume alas columbae prophetae deargentatas, sume pennas divini solis fulgore radiatas, evola in specie auri, ut in tantis, et talibus ramis iam nullis laqueis attendanda requiescas semper, et de volatu tali valida, et de tanta mansione secunda. De similitudine sequenti, sequenti verbo, Domino docente, declarabimus.

Varia de Baptismo D. N. I. C.
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21).

1069 **C**ONSIDERARE autem voluit Dominus in Iordane baptizari, ut ibi aperiret ianuam regni coelestis, tibi datus est aditus filiis Israel intrandi terram promissionis; quia sicut per illud flumen filii Israel transierunt ad terram promissionis eis per Dominum, sic per Baptismum fideles transeunt ad terram viventium. Et etiam ideo, quia Iordanis est fluvius medius Gentium et Iudaeorum, et baptismus communis est Gentibus et Iudaeis venientibus ad fidem et Christum. In Iordane quoque baptismus Domini, per Eliam et Eliseum, Iosue et Naaman praefiguratus fuit; quia in his figura baptismi praecessit. In aqua vero baptizatus est, quia aqua est contraria igni, et peccatum est ignis, unde et igne supplicii punitur. Ut ergo hic ignis extingatur, in aqua baptizatus est. Aqua etiam sordes abluunt, solum extinguit, imaginem reddit; ita gratia Spiritus sancti in baptismo sordes peccatorum abluunt, solum animae verbo Dei restinguit, imaginem Dei per culpam amissam restituit. Et ex hoc quod Dominus in aqua est baptizatus, trahitur argumentum quod in alio liquore quam in aqua non potest fieri baptismus. In aqua etiam uniformiter baptismus consecratur; quia a dextro latere Christi morientis aqua manavit, et quia nullus liquor adeo ad abluendum valet, et apud omnes facilius acquiritur, ne se aliquis propter inopiam excuset. Et licet Spiritus mundet interius, tamen necessaria est aquae lavatio; quia sicut ex duobus est homo, scilicet corpore et anima, sic ex duobus renascitur, scilicet ex Spiritu sancto et aqua.

VIVES. — Homil. Brev. Rom.

1070 **B**ENE currit hodiernae series lectionis, ut Evangelica mulier, mater nostra acciperet a Domino fermentum, per quod nobis hodie hoc templum tantam sanctitatis exigere et surgeret in massam. Sic enim coepit Dominus: *Cui simile aestimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae mensuris tribus, donec fermentatum est totum.* Bonus Dominus, amator suorum Christus, regni sui similitudines iterat, variat comparationes, quas non de occulto sumit, non captat de coelestibus, sed profert de quotidiano usu, de communi conversatione proponit, ut ad omne genus hominum perveniat, quod est omnibus profuturum, iuxta illud Prophetae: *Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, quique terrigenae, et filii hominum, simul dives et pauper.* Si quid de divinitatis occulto, si quid de secreto regali, si quid de penetralibus divitum afferret in medium, hoc nesciret pauper, non caperet mediocritas, notum simplicitas non haberet: nunc vero loquitur nota diviti, usitata pauperi, omnibus vitae ipsius necessitate vernacula, quia homo in Dei vocatione quaeritur, non discernitur in eius vocatione persona. Sed lectam similitudinem replicemus. *Cui simile, inquit, aestimabo regnum Dei?* Sic dicendo appendit animos auditorum, et attonitos reddit stupore toto, quid regno Dei, quid imperio divino valeat comparari; atque illis mente per multa et magna pervagantibus, coeli Dominus in ospitio pauperis, in manu panicotariae mulieris regni sui invenit, et format exemplum, dicendo:

Simile est fermentum, quod acceptum mulier abscondit in farinae mensuris tribus, donec fermentatum est totum. Ante regnum suum grano sinapis comparabat; nunc illud efficit simile fermentum. Ante sinapis granum memorat accepisse virum, mulierem nunc asserit accepisse fermentum: dicit ante exiguum semen virum sevisse in magnae arboris incrementum; mulierem modo fermentum breve ad profectum totius massae abscondisse manifestat. Vere, sicut dixit Apostolus Paulus: *Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.* Ad unum regnum diversum sexum varia similitudo perducit: neque virum separat a muliere vocatio Christiana, quos Deus coniungit, natura sociat, et mira similitudine similes reddit habitus, forma componit, et facit Deus, ut sit homo unus, duo: duo, unus: alter, ipse homo in copula coniugali: ne sit aut singularitas destituta, aut confusa coniunctio. Sed quare has similitudines regni sui Dominus per virum producit et foeminam? Quare maiestatem tantam tam vilibus, tam disparibus format exemplis? Fratres, pretiosum latet in hac vilitate mysterium, dicens Apostolo: *Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Comparationibus istis humani generis negotium geritur principale: per virum et mulierem mundi causa saeculis tractata finitur: Adam primus homo, mulier prima Eva ab arbore scientiae boni et mali, ad Evangelici sinapis ardorem deducuntur; ut oculos quos illecebrata arbor aperiendo clauserat, sinapis arbor grani sui collyrio et acritudine ipsa dum claudit, aperiret, ut ora quae venenosae arboris gustus infecerat, salutaris arbor flammeco gustus sui sapore sanaret; et ista arbor igneo pastu suo conscientiam toto conversationis suae ardore succenderet, quam frigidam illa toto iam ri-

gore perfecerat. Neque hic iam vel agit vel confunditur, nuditas, ubi hominem totum tegit venia: fidei facit calere vestitus: sed hoc per granum sinapis quod acceperat vir, confertur foeminae. Quid vero per fermentum, quod accepit mulier, confertur homini, sollicitius perscrutemur. *Simile est, inquit, regnum Dei fermentum, quod acceptum mulier, abscondit in farinae mensuris tribus.* Res de usu geritur: vir in agro sinapis arborem serit, domi mulier fermentum procurat, et panes praeparat alimoniae, quia virum foris expectat labor, intus mulierem domestica cura constringit. Hinc est quod Sara sterilis, et anus ex ista praeparatione fermenti, et ex tribus mensuris, tres subcinericios panes dominicae hospitalitati offert, mystico et apponit obsequio, ut sterilitas mundi tota senectute conclusa, in mensuris tribus, hoc est, in aequalitate Patris et Filii, et Spiritus sancti, fermentum fidei collocaret, et Domino suo tres panes poneret confessione Trinitatis: atque pro munere hoc totam Christiani germinis foecundaret ad prolem. Sed ad proposita redeamus. Mulier accepit a Deo fermentum fidei, quae acceperat a diabolo perfidiae fermentum: abscondit in mensuris tribus, hoc est, in tribus hominum temporibus, quod est ab Adam usque ad Noe, a Noe usque ad Moysen, a Moysen usque ad Christum: ut mulier quae corruperat fermentum mortis in Adam, totam massam generis humani; fermentum resurrectionis, totam carnis nostrae mas-

¹⁰⁷¹ ^a Hoc est in aequalitate Patris etc. Vetusior haec vel similis expositio, et relatio: cuius meminit Hilarius Comment. in Matth. tom. 1, cap. XIII, pag. 735: *Quantum ad Fidei sacramentum, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti unitatem, tres farinae mensuras esse referendas, sensisse multos meminimus. Quam tamen merito improbat, et refellit (Adnotat. Schaeft. Pauli, edit. ann. 1738). — Genus textus Hilarii habetur in sequenti homilia).*

sam redintegraret in Christo: ut mulier quae confecerat panem gemitus et sudoris, panem vitae coqueret, et salutis: et esset omnium viventium mater vera per Christum, quae erat in Adam mater omnium mortuorum. Ob hoc namque Christus nasci voluit, ut sicut per Evam venit ad omnes mors, ita per Mariam rediret omnibus vita. Quae Maria huius fermenti implet typum, similitudinem praefert, consignat figuram, dum de supernis suscipit fermentum verbi: et humanam carnem in alvo Virginis, imo in alvo Virginis coelestem totam conspergit in massam. Sed quid allegorici sensus in hac similitudine maneat, iam prodamus. Mulier quae accepit fermentum, Ecclesia est: fermentum quod accepit, coelestis doctrinae est Sacramentum: mensurae tres in quibus perhibetur, abscondisse fermentum, Lex, Prophetiae, Evangelia, ubi divinus sensus mystico absconditur et celatur in verbo, ut fidelem non lateat, lateat infidelem. Quod autem dixit: *Donec fermentatum est totum.* Illud est quod Apostolus dicit: *Ex parte scimus, et ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, cessabunt quae ex parte sunt.* In conspersione scientia nunc divina est, aspergit sensus, levat corda, incrementat ingenia, et doctrinarum more ad sapientiae coelestis dilatat, suscitatur, diffundit augmentum, fermentatur totum: quando? adveniente Christo.

Varia de Baptismo D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21.)

¹⁰⁷¹ **B**APTUM est autem, ut, cum baptiaoretur a Ioanne, fere omnis populus, terrae illius, id est, multi de omni populo; et Iesu, a Ioanne, baptizato, ac post baptismum de aquis ascendente, et pro baptizandis, ut Spiritum sanctum acciperent, orante, apertum est coelum, id est, inaestimabilis splendor factus est circa Christum, et tantus fulgor circum-

fulsit eum, ac si coelum empyreum apertum videretur, coeloque aereo et sidereo reseratis, splendor coeli empyrei terris infunderetur. Non quod coelum tunc divisum fuerit; non enim illa apertio in corpore coelesti, sed in aere fuit, sed quia aperiri videbatur sicut in coruscatione solet fieri, in qua coelum aperiri videtur; et per hoc significabatur gloriam coelestem aperiri creditibus in Christum, et quod renatis aperitur, et patet ianua regni coelestis, et aditus in coelum, qui praclusus fuit homini per peccatum. Unde Chrysostomus: ** Siquidem in eius baptismo aperti sunt coeli, ut discas etiam cum tu baptizaris hoc invisibiliter fieri, iam Deo te ad coelum vocante, nihilque in terra commune habere suadente.* Et iterum: ** Dicit autem, apertum est coelum, tamquam haec tunc reclusum fuisset. Iam autem ovisi superno et infimo in unum redacto, et uno existente omnium Pastore coelum patuit, et homo terriola, ovus agrogatus est Angelis.* Unde et Beda: ** Iesus autem baptizato et orante, apertum est coelum; quia dum corporis humilitate Dominus undas Iordanis subit, divinitatis suae potentia coeli nobis ianuas pandit; dumque caro innoxia frigidibus tingitur aquis, opposita quondam noxiis romphaea extinguitur ignea: haec Beda. In hoc etiam quod, Iesu baptizato et orante, coelum apertum est, significatur quod oratio mundi et sancti hominis coelum penetrat. Oravit autem Christus, ut nos informaret ad orandum post baptismum, et ut ostenderet nobis orandi ordinem et necessitatem: ordinem, quia ad hoc quod placeat oratio, oportet prius mundari et baptizari quam orare; necessitatem, quia baptismalis gratia indiget per orationem conservari; et ut daret exemplum quod in receptione sacramentorum, debet mens hominis in Deum elevari. Unde idem Beda: ** Quod Iesus, cuius omnia quae Patris sunt, baptizatus orasse memoratur, ad nos informandos actum non dubitatur, quibus post lavacrum baptismatis, ut aula coeli pandatur, ideo non otiose vivendum, sed ieiunium, precibus atque elemosynis est insistendum; quia, etsi peccata sunt omnia in baptismo laxata, non adhuc tamen est carnis fragilitas solidata. Nam, quasi transitio mari rubro, gratulamur submersos Aegyptios, sed in deserto mundanae conversationis hostes occurrunt alii, qui duce Christi gratia, nostro sudore vincantur, donec perveniamus ad patriam; haec Beda.**

fermentum memoret, hominibus quippe loquebatur imperitis et ignaric, quos opus erat his erigi. Nam ita simplices erant, ut postea multa opus haberent interpretatione. Ubi sunt gentiles? Christi virtutem ediscant, rerum veritatem conspicientes; et hac utraque de causa illum adoret, et quod rem tantam praedixerit, et quod illam impleverit. Nam ipse est qui vim fermento indit. Ideo multitudini admisit eos qui in se credebant, ut intelligentiam nostram mutuo tradamus. Nemo de paucitate causificetur. Multa quippe est praedicationis virtus: et quod semel fermentatum est, fermentum reliquis efficitur. Ac quemadmodum scintilla cum in ligna incidit, combusta in flammam convertit, et sic alia invadit: ita et praedicatio. Non dixit tamen ignem, sed fermentum; quare? Quia ibi non totum ab igne oritur, sed simul etiam a lignis incensis; hic vero fermentum per se totum efficit. Quod si homines duodecim totum orbem fermentarunt, cogita quanta sit nequitia nostra, quod, cum tanto numero simus, non possumus tamen eos qui supersunt emendare, quos oportuisset vel mille mundis ad fermentationem sufficere.

1077 At, inquires, illi apostoli erant. Et quid hoc est? Annon eadem ipsa qua tu conditione erant? nonne in civitatibus versabantur? annon eorumdem consortes erant? annon artes exercebant? num angeli erant? num ex coelo descenderant? Sed, inquires, signa fecerant. Non signa certe ipsos mirabiles effecerunt. Usquequo miraculis illis ad ignaviam nostram tegendam utemur? Vide sanctorum chorum, qui non miraculis illis fulsit. Multi enim qui daemones eiecerant, quia iniquitatem operati sunt, mirabiles non fuerunt, sed supplicis sunt affecti. Ecquid, inquires, illos magnos ef-

fecit? Contemptus pecuniarum, vanae gloriae despectus, sequestratio a bonis saecularibus. Qui si haec non habuissent, sed animi morbis paruissent, etiamsi sexcentos mortuos suscitassent, non modo ad nihilum utiles fuissent, sed etiam deceptores et fallaces habiti fuissent. Sic certe vita ipsa est quae ubique fulget, quae etiam Spiritus gratiam attrahit. Quod signum fecit Ioannes, qui tot civitates sibi devinxit? Quod enim miraculum nullum ediderit, audi Evangelistam dicentem: *Ioannes quidem nullum fecit signum* (IOANN. x, 41). Unde admirandus fuit Elias? Annon a fiducia, qua regem monuit? annon a zelo suo erga Deum? annon a paupertate, a melote, a spelunca, a montibus? Nam signa omnia post haec fecit. Iobi vero quod signum videns diabolus obstupfactus est? Signum certe nullum, sed vitam praeclaram, patientiam adamante quovis firmiorem. Quod signum David fecit, iuvenis cum esset, ut Deus diceret: *Iuveni David, filium Iesse; virum secundum cor meum?* (ACT. XIII, 22). Abraham, Isaac et Iacob quem mortuum suscitavit? quem leprosum mundavit? An ignoras, signa, nisi vigilem, pleurumque nocere? Sic multi Corinthiorum alii ab aliis discissi sunt: sic multi Romanorum superbierunt: sic Simon eiectus est. Sic ille qui Christum sequi optaverat, reprobus est, audiens: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidus* (MATTH. VIII, 20; LUC. IX, 58). Horum singuli, sive quod pecunias, sive quod gloriam ex signis quaerent, exciderunt et perierunt. Vitae autem accurata sanctitas, et virtutum amor non modo non parit talem cupiditatem, sed si adsit auferit. Ipse vero Christus, cum leges daret discipulis, quid dicebat? an, Signa facite, ut videant homines? Nequaquam: sed quid? *Luceat lux vestra coram ho-*

minibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est (MATTH. v, 16). Petro quoque non dixit: Si me amas, signa fac; sed, *Pasce oves meas* (IOANN. XXI, 15). Et cum semper illum ceteris praeponat, una cum Iacobo et Ioanne, unde, quae so, praepone? num a signis? Atqui omnes discipuli leprosos mundabant, mortuos suscitabant; omnibusque similiter potestatem concessit. Cur ergo tres illi anteponebantur? Ex animi nempe virtute. Videne ubique bona opus esse vitam, et rectis operibus? *Ex fructibus*, enim, inquit, *eorum cognoscetis eos* (MATTH. VII, 16).

1078 Quid autem vitam nostram constituit? An signa, an vita recte et accurate acta? Vitam certe esse liquidum est: signa vero inde ducunt occasionem, et in eum finem desinunt. Nam qui vitam exhibet optimam, hanc sibi attrahit gratiam; qui vero gratiam accipit, ideo accipit, ut aliorum vitam emendet. Quandoquidem Christus miracula illa ideo fecit, ut inde fide dignus ad se homines pertrahens, virtutem in mundum induceret. Ideo maximam huius rei curam habet. Neque enim solis signis satis habet sed et gehennam comminatur, et regnum promittit, sicque inexpectatas illas ponit leges, nihilque non agit ut nos angelis pares efficiat. Et quid dico, Christum omnia huius rei causa facere? Si quis, dic mihi, optionem tibi daret, aut mortuos in nomine eius suscitare, aut propter nomen eius mori, quid optares? Annon palam est te secundum optaturum esse? Atqui illud signum, hoc autem opus est. Si quis vero tibi optionem cum potestate daret foenum in aurum vertendi, aut posse omnes divitias ut foenum conculecare? Nonne hoc potius eligeres? Et iure quidem. Nam illud omnes homines maxime per-

traheret. Si viderent enim foenum aurum fieri, hanc potestatem omnes cuperent obtinere, sicut Simon, augere turque divitiarum cupiditas: si autem viderent omnes aurum tanquam foenum despiciere, iam olim a morbo liberati essent.

Videne bonam vitam posse magis iuvare? Vitam autem dico, non ieiunium, non saccum et cinerem stratum; sed divitiarum contemptum, ut par est eas contemnere, amorem proximi, eleemosynam et panem esurienti datum, sedatam iram, inanis gloriae depulsionem, invidiae eliminationem. Sic et ille nos instituit cum dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (MATTH. XI, 29). Non dixit, Quia ieiunavi, etsi posset quadraginta dies ieiunii proferre: at non hoc dicit; sed, *Quia mitis sum et humilis corde*. Rursusque cum misit eos, non dixit, ieiunate; sed, *Manducate quod apponitur vobis* (LUC. x, 8). De pecunia vero severam legem posuit dicens: *Nolite possidere aurum vel argentum, neque aes in zonis vestris* (MATTH. x, 9). Haec porro dico, non quod ieiunium vituperem; absit; multum quippe laudo: sed angor, cum video vos, aliis neglectis, putare illud esse ad salutem satis, cum tamen in choro virtutum ultimum teneat locum. Haec quippe maximae sunt, charitas, aequitas, eleemosyna, quae etiam virginitatem superat. Quare si velis apostolis par esse, nihil obstat. Si illam virtutem amplectaris, sufficit illa tibi ut nihil minus quam apostoli habeas. Nullum igitur signorum expectatio moretur. Angitur daemon cum de corpore eiicitur; multo magis autem cum viderit animam a peccato liberatam. Haec quippe est illius maxima virtus. Propter peccatum mortuus est Christus, ut illud solveret: illud enim mortem induxit: propter illud omnia sua

deque versa sunt. Si peccatum sustuleris, diaboli nervos succidisti, eius caput contrivisti, eius vim omnem solvisti, exercitum illum dissipasti, signum omnium signorum maximum exhibuisti. Non meus est hic sermo, sed beati Pauli: cum dixisset enim, *Aemulami charismata meliora, et adhuc vobis excellentiorem viam demonstravi* (I COR. XII, 31), non subiunxit signum, sed charitatem omnium radicem bonorum. Si ergo hanc exerceamus, et philosophiam omnem inde sequentem; non opus habebimus signis: sicut si non exerceamus, nihil nobis signa proderunt. Haec itaque omnia cogitantes, ex quibus apostoli magni evaserunt, haec aemulemur. Undenam illi magni effecti sunt? Audi Petrum dicentem: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* (MATTH. XIX, 27). Audi et Christum ipsis dicentem: *Sedebitis super sedes duodecim; et: Quicumque reliquerit domum, vel fratres, vel patrem, vel matrem, centuplum recipiet in hoc saeculo, et vitam aeternam possidebit* (Ibid. 28, 29). Nos itaque a saecularibus omnibus abducentes, Christo nos consecremus, ut et apostolis, pares simus secundum eius sententiam, et aeterna vita fruamur: quam utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Varia de Baptismo D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.
(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21.)

1080 **E**t ecce vox Patris, testimonium Filio praebentis, de caelis audita est, scilicet de nube, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, praeceteris; quia non adoptivus, ut ceteri, sed naturalis. Unde Chrysostomus: "Suis utique non per adoptionem gratiae neque per electionem creaturae, sed suis proprie-*

tate generis et veritate naturae". Et, ut ait Hieronymus, sedit columba super caput eius, ne quis putaret vocem Patris ad Ioannem factam, non ad Dominum. *In quo mihi complacuit*, id est, in quo voluntas mea complebitur de salute generis humani. Alius vero Evangelista sic dicit: *Tu es Filius meus dilectus in te complacui mihi*, id est, in te et per te constitui quod mihi placet facere, et quae agenda sunt agere, id est, genus humanum redimere. Vel mihi complacuit, id est, complete et totaliter placuit. Nihil enim umquam Deo displicuit in eo, sicut in nobis, qui prius faimus natura filii irae. Unde Bernardus: "Vere enim hic est, in quo non est quod Patri displiceat, quodve oculos maiestatis offendat; unde et ipse ait: *Omnia quae placita sunt ei, facio semper*". Donet nobis Dominus Iesus qui semper placet Patri, ut nos per ipsum mereamur placere sibi. Secundum Bedam, tantum duravit splendor coelestis, quando paterna vox audita est, et cum ea terminatus est.

Ipsam autem Filium audire, huic credere et obedire, Pater alicui nos admonet, dicens: *Ipsam audite*. Cui enim nisi sapientiae, iustitiae, et veritatis credere debemus? Unde Bernardus: "Ipsam, inquit, audite. Ecce, Domine Iesu, vel nunc iam loquere, licentiam loquendi habes a Patre. Quamdiu virtus et Dei sapientia quasi infirmus alicui et insipientes lates in populo? Quamdiu, nobilis Rex, et Rex coeli, fabri filium te pateris appellari pariter et reputari? O humilitas virtutis Christi! O sublimitas humilitatis! Quantum confundis stultitiam meae vanitatis! Parum aliquid scio vel magis scire mihi video; et iam silere non possum, impudenter et imprudenter me ingerens, et ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum sic abscondebatur, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timebat ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Uti que timebat, sed non sibi; nobis timebat ab illa, quibus noverat esse timendam. Nobis tacet, et nos instruat; tacet ore, sed instruat opere, et quod postea docuit verbo, iam clamabat exemplo: *Dicite a mihi quia mitis sum, et humilis corde*. Nam de infantia Domini parum aliquid audio; ex tunc iam usque ad hunc trigesimum annum nihil invenio. Nunc vero iam non potest latere, qui tam manifeste demonstratur a Patre"; haec Bernardus. Et haec est auctoritas quam supra allegavi, per quam apparet quomodo siluit Dominus Iesus ad nostram instructionem; et tacendo ore, instruxit opere. Ipsi igitur exemplo stude et tu taciturnitati; quia, qui de omnibus tacet, de omnibus pacem habet. Stude, inquam, et nitere; quia, ut ait Ambrosius, rarior est tacendi virtus, quam loquendi.

Vidisti ergo ubique in Domino Iesu humilitatem redolere, quae est virtus magna, et valde necessaria; eo quippe studiosius quaerenda, et etiam affectuosius amanda est, quia Dominus in singulis actibus suis studuit eam signanter observare, et exemplum inde aliis ostendere.

SABBATO

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.
IN MATTH., CAP. 13.

1082 **A**LIAM parabolam proposuit illis, dicens: *Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod accipiens homo, seminavit in agro suo. Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, maius est omnibus olivibus: et fit arbor, ita ut volucres coeli veniant et habitent in ramis eius.*

1083 Granum sinapis, praedicatio est Evangelii, et notitia Scripturarum quae ducit ad vitam. Qui seminat, sensus noster et animus est, qui suscipiens granum praedicationis, et humore fidei fovens facit in agro pullulare pectoris sui. Quae minima est omnibus disciplinis, quia ad primam doctrinam fidem non habet, quando Deum qui est auctor vitae, mortuum, et scandalum praedicat crucis. Haec philosophorum dogmatibus multo minor esse videtur comparata; sed quia eorum documenta in modum olivum emollita, cito crescunt et corruunt. Haec minima cum in anima credentis, vel in toto mundo fuerit praedicata, non in olera, sed in arborem crescit, ita ut in ramis eius, id est, dogmatum diversitibus animae requiescant. Potest in grano sinapis Dominicae incarnationis humilitas designari, quod acceptum homo Ioseph sepelivit in horto, crevit vero in arborem, quia surgens ascendit in coelum. Ramos expandit, id est, praedicatores, in quibus quique fideles ab huius vitae fatigatione requiescerent, spargit.

1084 *Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum coelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satris tribus: donec fermentatum est totum.* Haec mulier est supradicta apostolica praedicatio, sive Ecclesia ex diversis gentibus congregata: haec tulit fermentum, id est, notitiam scripturarum, et abscondit in farina satris tribus: ut spiritus, et anima et corpus non discrepent inter se, sed consentientes in unum, quodcumque a Patre postulaverint, impetrent. Sive mulier Ecclesia in propagines filiorum Noe, per fermentum fidei non ad triplicem, sed ad divinitatis unitatem perducit, sed ad divinitatis unitatem perducit, et secundum Platonem tres passiones humanae animae per fermentum adunamus, quando ex rationabili quodquod in cerebro putavit prudentiam possidemus. In irascibili contra vitia, quod in felle putabat, rigorem tenemus; in concupiscibili, quod in icore aestimabat, desiderium virtutum sumimus. Satum genus est mensurae apud Palaestinos, habens unum et dimidium modium.

1085 *Haec omnia in parabolis locutus est Iesus ad turbas, et sine parabola locutus est nihil.* Nam infidelibus turbis hucusque in parabolis loquitur. Discipuli, id est, credentes domi interrogant, ut secreta mysteria sciant.

1086 *Aperiam in parabolis os meum, etc.* Hoc testimonium de septuagesimo Psalmo sumptum est, et ex persona Domini dicitur. Quia non est inventus neque in caelo, neque in terra, neque sub terram, qui dignus sit aperire librum, et solvere signacula eius.

Varia de Baptismo D. N. I. C.
ex Ludolpho de Saxonia.
(VITA IESU CHRISTI, PARIS 3, CAP. 27.)

1087 Sic ergo in hoc opere excellentissimo tota Trinitas modo singulari se manifestando apparuit, large apparitionem accipiendo; et sic Trinitatis praesentia baptismum consecratur. Pater apparuit in voce, Filius in homine seu carne, Spiritus sanctus in columba. Differenter tamen, quia Filius apparuit in homine in unitate suppositi; sed in apparitione aliarum personarum erat unio per modum signi. Caro enim unita erat Filio in unitate suppositi; vox autem et columba non habebant unitatem suppositi cum Patre et Spiritu sancto, sed tantum in praesentatione signi. In columba ergo fuit Spiritus, non Spiritus fuit columba, quae ei tamen non fuit unita; non enim fuit incolumbatus, quia praeter naturam humanam nunquam creatura aliqua fuit Deo personaliter unita; nec inluit ei per gratiam, sed per apparitionem et signum; quae peracto officio suo post apparitionem, in primordialiam, et praeciuentem materiam recedit, unde sumpta fuerat, sicut etiam sentitur de aliis figuris in quibus Dominus apparuit. Apparuit autem mysterium Trinitatis, Domino baptizato, et non cum baptizaretur; quia cum non egeret gratia mundante, non est baptizatus baptismo suo, sed Ioannis. Baptismus autem Ioannis dabatur in nomine venturi; Baptismus vero Christi datur in nomine Trinitatis; et ideo non decuit in actu baptismi, sed postea nomen Trinitatis explicari, ut distantia pateret inter baptismum Ioannis, qui non in nomine Trinitatis dabatur, et inter baptismum Christi, cui haec forma servabatur. Et per talem apparitionem Trinitatis baptizato Christo factam, significatum fuit quod baptismum deberet conferri in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. In primitiva tamen Ecclesia, ad tempus, collatus fuit baptismus in nomine Christi, ut nomen Christi in reverentia haberetur maiori, ad excludendum illorum errorem qui virtutem baptismi attribuunt ministris, dicentes: *Ego sum Pauli, ego autem Cephae, etc.*, sed illis causis cessantibus, rediit Ecclesia ad formam praedictam. Et ponitur hic triplex effectus baptismi, quem baptismus causat, maxime post Passionem Christi, scilicet: coeli apertio, quia coelorum regna patent renatis in baptismo; Spiritus sancti missio, cuius gratia ac donum confertur in eo; et paterna locutio, quae baptizatos regenerat in filios adoptionis, qui sibi complacent, quia per Baptismum de filiis

^a Quoniam sensu id intelligi debeat, habetur in Cat. Rom. de Baptismo, n. 15. Pro in nomine Christi, intellige in forma tradita a Christo.

irae sunt filii gratiae, et regenerantur in vitam aeternam. Considera haec singula diligenter et erige animum, ut aperto iam Trinitatis coelo, sursum feraris in Deum. In humilitate quoque mentis persiste, ut Spiritus sancti dono et paterno colloquio munerari merearis. Unde Anselmus: "In Iordane, sub manu Ioannis se ad baptismum Christus inclinans, paternam vocem audivit, et Spiritus sancti adventum in columba suscepit, ut nos doceret in humilitate mentis, quae per Iordanem notatur, Iordanis enim *descensio* eorum interpretatur, debere consistere, ibique supra Patris honorari colloquio, de quo dicitur: *Quia cum simplicibus sermocinatio eius*; et Spiritu sancti praesentia sublimari, qui super humiles requiescit, et hoc sub manu Ioannis, qui *Dei gratia* dicitur; ut eidem gratiae quidquid a Deo percipimus, non nostris meritis adscribamus": haec Anselmus.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XX, 1-16.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum coelorum homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.
3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,
4. et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam: et fecit similiter.

6. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?

7. Dicit ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam.

8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.

9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.
10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant adversus patrem familias,

12. dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et aestus.

13. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denaro convenisti mecum?

14. Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.

15. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculos tuos nequam est, quia ego bonus sum?

16. Sic erant novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA XIX. in EVANGELIO. *Habita ad populum in basilica beati Laurentii martyris, Dominica in Septuagesima.*

1088 **U**N explanatione sua multa ad loquendum sancti Evangelii lectio postulat, quam volo, si possum, sub brevitate perstringere: ne vos et extensa processio et proluxa expositio videatur onerare. Regnum coelorum homini patrifamilias simile dicitur, qui ad excolendam vineam suam operarios conducit. Quis ergo patrifamilias similitudinem rectius tenet, quam Conditor noster, qui regit quos condidit, et electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subiectos dominus in domo? Qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmes misit. Hic itaque pater familias ad excolendam vineam suam mane, hora tertia, sexta, nona et undecima operarios conducit: quia a mundi huius initio usque in finem ad erudiendam plebem fidelium praedicatorum congregare non destitit. Mane etenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe. Hora vero tertia, a Noe usque ad Abraham. Sexta quoque ab Abraham usque ad Moysen. Nona autem a Moysen usque ad adventum Domini. Undecima vero ab adventu Domini usque ad finem mundi. In qua praedicatorum sancti apostoli missi sunt, qui mercedem plenam et tarde venientes acceperunt. Ad erudiendam ergo Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere: quia et prius per patres, et postmodum per legis doctores et prophetas, ad extremum vero per apostolos, dum plebis suae mores excoluit, quasi per operarios in vineae

cultura laboravit. Quanvis, in quolibet modulo vel mensura, quisquis cum fide recta bonae actionis existit, huius vineae operarius fuit. Operator ergo mane, hora tertia, sexta et nona, antiquus ille hebraicus populus designatur, qui in electis suis ab ipso mundi exordio dum recta fide Deum studuit colere, quasi non destitit in vineae cultura laborare. Ad undecimam vero gentiles vocantur, quibus et dicitur: *Quid hic statis tota die otiosi?* Qui enim transacto tam longo mundi tempore, pro vita sua laborare neglexerant, quasi tota die otiosi stabant. Sed pensate, fratres, quid inquisiti respondeant: *Dicunt enim: Quia nemo nos conduxit.* Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus propheta venerat. Et quid est dicere: Ad laborem nos nemo conduxit, nisi, vitae nobis via nullus praedica vit? Quid ergo nos a bono opere cessantes, in excusatione nostra dicturi sumus, qui pene a matris utero ad fidem venimus, qui verba vitae ab ipsis cunabulis audivimus, qui ab uberibus sanctae Ecclesiae potum supernae praedicationis sumpsimus cum lacte carnis?

1089 Possumus vero et easdem diversitates horarum etiam ad unumquemque hominem per aetatum momenta distinguere. Mane quippe intellectus nostri pueritia est. Hora autem tertia adolescentia intelligi potest: quia quasi iam sol in altum proficit, dum calor aetatis crescit. Sexta vero iuventus est; quia velut in centro sol figuratur, dum in ea plenitudo roboris solidatur. Nona autem senectus intelligitur, in qua sol velut ab alto axe descendit; quia ea aetate a calore iuventutis deficit. Undecima vero hora ea est aetas, quae decrepita vel veterana dicitur. Unde graeci valde seniores, non γέροντες, sed προγυρότεροι; appellant, ut plus quam senes esse insinuent, quos proveciores vocant. Quia